



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae  
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia  
Tetrastichis distincta**

**Waterloop, Oliverius F.**

**Antverpiae, 1657**

Titulus XVI. Disce. Doce.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9689**

Durum est amici fraudibus,  
 Aut vi potentis concuti:  
 De neutro honestū est, nec potest  
 Tibi esse tutum conqueri.

Inter duos non eligas  
 Sedere amicos arbiter:  
 Mensā paratā sapiūs  
 Sodalium lis solvitur.

Profana te vulgi nequit  
 Iuvare conversatio,  
 Cui, præter aggestas opes,  
 Meliora fordent omnia.

Socii legendi ? non opes,  
 Sed opera spectata; sed decus,  
 Specimens virtutum: satis  
 Opulentus est, socius probus.

Quando omnibus sapientibus  
 Omnis susurro displicet,  
 Sapere videris, qui tuā  
 Abigis susurronem domo.

4. Socii perinde ac propriam  
 Habeto caram gloriam:  
 Multum tuæ addit gloriæ  
 Lecti sodalis gloria.

Prodesse semper, cum potes,  
 Lectis stude sodalibus,  
 Ne si favere desinat,  
 Tibi noceat sodalitas.

Pretiosa quam minimo solent  
 Constare verba: suavibus  
 Nutritur alloquiis amor;  
 Audace verbo rumpitur.

*Disce. Doce.*

1. **A**Rbor licet sapientiæ  
 Radice surgat felleâ;  
 Amaritudo melleos  
 Quandoque fructus proferet.

Vbique disce: sit tuus  
 Etiam magister hortulus;  
 Docili minutus maximam  
 Dat lectionem flosculus.

Præcepta sub doctis bona  
 Edoctus, indoctos doce:  
 Discente te, docente te,  
 Doctrina in orbe floreat.

Docere scis ? primo sede  
 Loco: secundo, discere  
 Si vis. Docere aut discere  
 Nescis ? sede nullo loco.

Docere multi malumus,  
 Quam discere; at plus discere  
 Tibi quam docere proderit:  
 Qui discit, ipse se docet.

Ea disce, quæ nescis prius,  
 Tum deinde nescios doce.  
 Solus nihil discit DEUS:  
 Solus DEUS solum docet.

Nisi aptus es doceri,  
 Nec aptus es docere:  
 Prudens docendo discit.  
 Docere vis ? docere.

Etiam

Etiã docenti acquiritur  
Doctrina; dicendo, bonus  
Orator evades: suos  
Docendo, se Doctor docet.

Doce, & docere; quod scias,  
Docilem libens mentem doce:  
Docere quod tu nescias,  
Id profiteri sit pudor.

Quod nescias, velle alterum  
Docere, stultitiæ est nota:  
Multos oportet discere;  
Paucis docere convenit.

Quod scis, rogantem candidus  
Promptusque discipulum doce.  
Nescis? docere non sinat  
Pudor; doceri flagita.

Facilis roganti, quæ tibi  
Sunt clara, pande: quæ tibi  
Nondum liquent, hæc discere  
Te nullus impediãt pudor.

Disce & doce: mone & move:  
Ad recta duc ore & stylo:  
Factoque mentis otio,  
Doctore lude carmine.

Quod nescit, hoc à nemine  
Sapiens recusat discere:  
Docilis, magistrumquemlibet  
Audire si gaudes, sapis.

Sapientiæ laus est tuæ,  
Ab eo doceri, qui sapit:  
At ille qui sapit, solet  
Vitare quæ vulgo placent.

A quo doceris, & bonum  
Quod discis, utrumque æstima:  
Sic te, bonumque quod doces,  
Plus æstimabunt posterì.

Indignus ille est literis,  
Qui literarum principes  
Humaniorum non amat;  
Indignior, qui despicit.

Diem sequens docet dies.  
Quamvis peritus artifex,  
Nescire quædam gaudeas,  
Quæ gaudeas post discere.

Ineptus ille auditor est,  
Qui, præ pudore rustico,  
Quæ nescit ut discat, suum  
Rarò magistrum interrogat.

Arcana sic scientiæ  
Sublimioris explica,  
Auditor ut videat tuæ  
Te conscium ignorantia.

2. Docilem doce: frustra velis  
Implere sat plenum sibi.  
Memorem move: cave cado  
Vinum effluenti infundere.

Inutilis pecten glabro;  
Inutilis surdo lyra;  
Speculumque cæco: inutilis  
Est nauseabundo liber.

Vis judicandi non magis  
Aliunde possit inferi  
Menti impeditæ, sensibus  
Quàm possit aut odor, aut sapor.

Ff 3

Hoc

Hoc altiùs fustollitur  
Favilla mota, quò acriùs  
Ignem quatis: parum, aut nihil  
Obtare morosis juvat.

Si cùm docêris, vinceris,  
Nec vincis hilum cùm doces,  
Quid? victus, an victor redis?  
CruX est inani gloria.

Doctrina quamvis optima  
Sit omnium possessio;  
In classe discipulos habet  
PaucoS magister: mens abest.

Magister is fuit mihi,  
Qui me esse vellet plurium,  
Hac lege; cùm nemo audiet,  
Vt pædagogus sim mihi.

Vbi disciplina, ibi falus;  
Ibi vita, pax, & gaudium:  
Etiam viros, etiam senes  
Puer verecundus docet.

Vt, quod voles intelligi,  
Intelligatur, hoc age:  
Quæ scribis obscure, aut doces,  
Nec ritè scribis, nec doces.

Affuesce, ut oblectes gregem,  
Sermonis uti fistulâ:  
Sed ore quidquid præcinis,  
Tractare ne pigeat manu.

3. Est sæpè discipulus sui  
Figulus magistri: dignus est,  
Habere lenem cereus,  
Habere durum ferreus.

Auditor, ut mentem gerit,  
Doctoris est faber sui:  
Facilem facit mens flexilis;  
Mens dura difficilem facit.

4. Oculus juventuri datus,  
Time esse ductor devius:  
Rectam roganti semitam,  
Esse ad sinistra dux, cave.

Vitæ magister dat malus  
Exempla discipulis mala:  
Si cancer obliquè meat,  
Sequitur parentis tramitem.

Bonum esse pastorem decet,  
Et ob se, & ob suum gregem:  
Hunc sicut emendat bonus,  
Sic sæpè depravat malus.

Honesti discipulos doce  
Faciendo facere: vis bonum?  
Bonitate facies: optima  
Quæ velle te ostendes, volet.

### *Pater. . Filius.*

1. **V**T fonte manant rivuli,  
Sic sensus omnis corporis,  
Omnisque membrorum vigor,  
Et motus à capite fluit.

A patre sic in filios  
Virtus, & omnis optimæ  
Vis disciplinæ profluit:  
Patrem æmulatur filius.

Quod